

- 254 **múcidus**, -a, -um ¶ orig. schleimig (cap.3). Est i.q. muco oblitus.
- múcinnium**, -ī n. ¶ orig. Taschentuch (cap.9). Est pannus sive linteolum, quo mucus nasi detergetur. ARNOB.2,23.
- mūgínor**, -áři, -átus sum ¶ orig. grübeln (cap.11). i.q. cunctari, dubitatione æstuarē. cfr OLD 1140, s.v. 2 To hum and haw, shilly-shally. Muginamur, molimur, subducimur LUCIL.294 ; dum tu muginaris, nec mihi quicquam recribis CIC.Att.16,12,7 ; GELL.5,16,5 ; muginari est nugari et quasi tarde conari. PAUL.Fest.p.147M.
- mundātórius**, -a, -um ¶ orig. Toiletten// (cap.15). Ad vestimentum et ad corpus colendum spectans. orig. Toilettenessig – Acetum mundatorium ; orig. Toilettenartikel – merx mundatoria.
- muriáticus**, -a, -um ¶ orig. mariniert (cap.9). Cibus si est liquore salito conditus, dicitur esse muriaticus. PLAUT.Poen.241 ; 249 thynni muriatici.
- mūrínus**, -a, -um ¶ orig. mausgrau (cap.38). Coloris, quo est pellis murium.
- múrrinus**, -a, -um ¶ orig. aus Steingut (cap.36). E murra (lapide quodam) constans.
- muscósus**, -a, -um ¶ orig. moosig (cap.5). i.e. musci plenus, musco obsitus, musco similis.
- múscus** (2) ¶ cf. móschus.

múttiö, -íre ¶ orig. aufmucken (cap. 36).

mýrias, -íadis f. ¶ orig. Millionen und Abermillionen (cap. 8).

mýron, -ī n. ¶ orig. Parfum (cap. 10).

HIER. præf. in lib. regum extr. ; VULG. Judith 10. 3.

Liquores volatiles et fragrantés, qui dicuntur Francogallice parfums, in hac versione Latina appellantur verbo Græco myra (myron, -ī n., a gr. τὸ μύρον, neogræce μυρωδικό, μυρωδιά). In litteris Romanis latius patet verbum Latinum unguentum (quod ducitur ab unguendo, cfr unguentarius, taberna unguentaria). Unguenta erant substantiæ fragrantés aut ceræ aut adipi aut oleo similes, quibus cutis corporis unguebatur decoris aut valetudinis causa. Sed nomen modernum, quod est « parfums », non spectat ad substantias adipi similes (Fr. onguent aut crème, cfr lat. ceroma, -atis n.), i.e. solidas, sed ad liquores subtiles et volatiles, qui facillime guttis minutissimis possunt per æra dispergi. Tales liquores nova demum ætate inventi esse videntur, quod fieri potuit adhibito alcohole, i.e. spiritu vini subtilissimo (verbum parfum ducitur a verbo Italiano *perfumare*, cfr *perfumo* vel recentius *profumo*). Inventor et cultor huius methodi odoramenta solvendi et dispergendi dicitur fuisse *Frangipani*, Dædalus fragrantiarum Italianus, cuius nomen in fabula sæpius celebratur. Ad notionem denominandam hic adhibeo verbum Græcum τὸ μύρον, præsertim cum sermo Græcus ætate antiqua (sicut nova ætate sermo Francogallicus) fuerit sermo elegantiarum. Cicero in epistula ad Atticum scripta (1, 19, 2) affert locutionem Græcam, quæ est τὸ ἐπὶ φακῆ μύρον, i.e. ad verbum : unguentum in lente, quod valet rem pretiosam adhibere ad rem vilissimam. Sensu translato myron valebat aliquid lepidum, amabile. Itaque erat etiam blandum nomen amantium. Ceterum hoc verbum antiquum vel potius forma ab eodem derivata adhuc adhibetur in

lingua neogræca (μυρωδικό, μυρωδιά), ubi reapse valet i.q. Fr. *parfum*. Nos autem secundum formas palæogræcas appellamus eum, qui talia odoramenta vendit, *myropolam* (*myropola*, -æ m., gr. ὁ μυροπώλης), et eum, qui talia fabricat, *myropœum* (*myropœus*, -i m., a gr. ὁ μυροποιός). Adiectivum ad talem hominem pertinens sit *myropoeticus*, -a, -um (originaliter *parfümistisch*, cfr *onomatopoieticus*, ὀνοματοποιητικός).

« *Mýron Dóminæ Marchiōníssæ dē Pompadour* » ¶ orig. « *Parfum de Madame la Marquise de Pompadour* » (cap. 20).

« *Mýron Dúcis d'Aiguillon* » ¶ orig. « *Parfum du Duc d'Aiguillon* » (cap. 20).

*mýron flōrále* ¶ orig. *Blütenparfum* (cap. 33).

« *Mýron Marchiōníssæ dē Cernay* » ¶ orig. « *Parfum de la Marquise de Cernay* » (cap. 20).

« *Mýron Uxóris Marescálcī dē Villars* » ¶ orig. « *Parfum de la Maréchale de Villars* » (cap. 20).

« *Mýron Súsæ Maiestátis Régis* » ¶ orig. « *Parfum de sa Majesté le Roi* » (cap. 20).

« *μύρον τὸ τῆς Κέβεκου τιμῆς* » ¶ orig. « *Prestige du Québec* » (cap. 22).

\**myropóea*, -æ f. ¶ orig. *Parfumerie* (cap. 35). Fabricatio myrorum.

1. Substantiæ fragrantés quomodo pariantur. Semper hominum intererat fragrantias naturales capere, conservare, adhibere. Eædem autem potissimum inveniri poterant in fructibus, floribus, radicibus, herbis. Ætate moderna in locum talium

fragrantiarum naturalium magis magisque supponuntur artificiales, idque præcipue parsimonix causa.

**1.1 Methodus destillandi.** Quæ methodus refertur inter fragrantix capiendæ omnium vetustissimas. Eadem methodo nos sæpe utimur theam coquentes. Calore enim olea ætherica ex foliis exiguntur, ut fragrantia celeriter per conclave distribuatur. Duo sunt genera destillationis, aquatica et vaporifera.

**1.1.1 Destillatio aquatica.** Quæ methodus destillandi hodie est obsoleta. In eadem adhibenda plantæ concisæ aquæ immiscentur, aqua ut ebulliat curatur, vapor aquæ refrigeratur. Hoc processu cum permultum energiæ requiratur, tum perduntur olea caloris impatientia, velut olea florum rosarum et aranciorum.

**1.1.2 Destillatio vaporifera.** Loxo aquæ ebullientis per partes plantarum ducitur vapor aquæ, idemque postea refrigeratur. Itaque non solum eæ substantiæ fragrantæ conservantur, quæ alta demum temperatura ebulliendi pari possunt, sed etiam substantiæ fragiles. In aqua nunc parta, fragrantis imbuta, olea ætherica leviora ad superficiem levantur, graviora in fundum delabuntur. Substantiæ fragrantæ in aqua non solvuntur. Hoc homines cum iam medio ævo scirent, utebantur lagoenis specialibus ad hanc destillationem adhibendam, quæ dicebantur lagoenæ Florentinæ. Ex earundem enim tubis eductoriis oleum facile eximebatur.

**1.1.3 Destillatio vacuata.** Hac in destillatione aqua cum prematur, temperatura ebulliendi deminuitur (partim iam 50 gradibus ebullit). Itaque olea ætherica valde fragilia etiam melius pariuntur.

**1.2 Extractio.** Alia methodus eo est destillationi contraria, quod posita est in oleis æthericis cum substantia solutrice commiscendis. Eadem appellatur extractio. Ad eandem efficiendam flores implentur solutioni calidæ. Substantiæ solutrices sunt benzolum aut hexanum aut hydrocarborea commixta aut carboneum dioxydatum. Itaque olea ætherica e massa plantarum solvuntur et in liquorem transeunt. Quæ actio compluries (decies) repetitur,